

98. *Nisi tales habeant speciale privilegium, aut consuetudinem in contrarium.* — Hinc in *Irrefragabili*. 13. § *Excessus*, de *Offic. ordin.* solummodo permittitur, ut excessus canonicorum cathedralis Ecclesiae corrigantur per capitulum, vel ejus decanum (ut loquitur Glossa ibidem) in illis Ecclesiis, quae talem hactenus consuetudinem habuerunt. Secus ergo dicendum seclusa tali consuetudine, ac speciali privilegio in contrarium concessio.

99. *Decani Ecclesiarum cathedralium Germaniae de consuetudine habent jurisdictionem in canonicos.* — Ejusmodi autem consuetudo (inquit Pirhing, tit. de *Foro compet.* n. 74.) est in Germania: ubi decani Ecclesiarum cathedralium jurisdictionem habent in canonicos; et clericos capitulo deservientes, quorum correctioni episcopi non se immiscerent; nisi decani sint negligentes; et officio suo desint, juxta cit. § *Excessus*.

100. *Clericus una cum laico delinquens, private convenitur coram iudice ecclesiastico.* — Queritur III. An, si clericus una cum laico crimen committat, uterque in foro ecclesiastico sit conveniendus; et puniendus? Resp. I. Certum est, quod clericus; etiamsi cum laico crimen commiserit (ut si cum Sempronio laico furtum perpetrarit, aut cum femina fornicatus sit) nihilominus super eo private coram iudice ecclesiastico sit conveniendus, et puniendus. Siquidem textus juris clericum a jurisdictione saeculari eximentes, generaliter et indistincte loquuntur; ergo etiam procedunt in casu, quo clericus est socius laici in crimine.

101. *An coram hoc etiam laicus ille sit conveniendus, ab eoque puniendus? Proponitur ratio dubitandi, et affirmativam tenendi.* — Major difficultas est, utrum non etiam in tali casu laicus (puta Sempronius, vel ejusmodi femina) cum clerico delinquens, coram iudice ecclesiastico sit conveniendus, ab eoque puniendus? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi est, tum quia ratione connexitatis delicti hujusmodi causa criminalis non videtur dividenda, arg. l. *Nulli*. C. de *Judiciis*, eam similibus; sicque uterque delinquens ab eodem iudice dijudicandus, et crimine probato puniendus; tum quia magis dignum trahit ad se minus dignum, c. *Quod in dubiis*, de *Consecrat. eccles.* sicque in eadem causa clericus videtur laicum, secum delinquentem, trahere ad forum ecclesiasticum, et non e contra; tum tandem, quia potest quis sortari, ac retinere privilegium ratione socii,

quod per se non potest; ut i. *Si communem*. ff. *Quemadmodum servit. amitt.* ergo etiam laicus potest sortiri privilegium fori ecclesiastici ratione clerici in crimine socii, licet per se id non possit.

102. *Et qui auctores hanc teneant?* — Atque ob hasce rationes non pauci doctores volunt, si clericus cum laico delictum perpetret, causam hanc esse ab uno dumtaxat iudice decidendam, et quidem ecclesiastico vetuti digniore; prout sentit Maranta, part. IV. *Speculi aurei*, dist. 11, n. 22; Menochius, de *Arbitrar. judic.* lib. II, cas. 371, n. 13, qui addunt hoc dictum originaliter fuisse Antonii de Prato in l. I. in fin. ff. *Quae sent. sine appellat. rescind.* alique plures ab ipsis citati. Verumtamen his non obstantibus,

103. *Sententia negativa est probabilior, ac in praxi recepta.* — Resp. II. Probabilis est, atque in praxi magis receptum, quod in tali casu clericus quidem sit conveniendus, et puniendus a iudice ecclesiastico, ut dictum; laicus autem a iudice saeculari. Ita Covarruvias *Practicar. quaest.* cap. xxxiv, n. 1, prope fin.; Fachineus, lib. IX. *Controvers. jur.* cap. xxxi; Zoësius, tit. de *Foro compet.* n. 18; Julius Clarus, lib. V. *Practicae criminalis*. § fin. quaest. 36, n. 46. tandem concludens, quod ab hac communi observantia non sit recedendum in practica. Farinacius, lib. I, tit. de *Inquisitione*, quaest. 8, n. 151, vers. *Contrarium*, post Rebuffum, Gomez, et plures alios.

104. *Ejusque rationes.* — Ratio hujus sententiae est, quia, licet in individuis (seu ita communibus, ut nulla possit fieri congrua divisio inter socios, quorum alter habet privilegium fori) tota causa sit tractanda coram iudice ejus, qui gaudet dicto privilegio fori; uti notat Bartolus in l. *Præcipimus*. § *Eodem observando*. C. de *Appellatione*. et bene probant rationes n. 101 adductae; secus tamen est dicendum de dividuis, seu commode ab invicem separabilibus; Covarruvias, et Farinacius, ubi supra, cum aliis. Atqui in proposito casu, quaestio est de re, seu causa dividua; quia facile potest iudex ecclesiasticus clericum punire, et iudex saecularis laicum, absque ulla utriusque jurisdictionis læsione; ergo. Accedit textus apertus in l. *Si quis uxori*. § 1. ff. de *Furtis*; ubi, si quis furtum cum uxore in rebus sui mariti fecerit, furti actione tenetur; cum tamen ipsa uxor furii non teneatur, sed rerum amotarum, et consequenter in delictis socius criminis minime gaudet

privilegio socii, cum res sit dividua. Atque per hoc patet ad fundamenta prioris sententiae, n. 101 allata. Nam procedunt in causa individua; secus in dividua.

105. *Quae limitatur, dummodo iudex ecclesiasticus in captura laici non preveniat.* — Cæterum per hactenus dicta nequiquam negatur, quin laicus una cum clerico delinquens, possit a iudice ecclesiastico puniri, si hic in captura preveniat; prout recte limitat hanc sententiam Farinacius cit. n. 151. circa finem asserens, istud a doctoribus hujus sententiae non negari. Siquidem quoad crimina mixti fori locus est praeventio; et iudex ecclesiasticus potest procedere super quolibet criminali peccato, c. *Novit*. 13, § *Licet autem*. h. t.

106. *Laicus cum clerico delinquens, nequit declinare iudicium saeculare.* — Bene tamen ex dictis sequitur, quod laicus una cum clerico delinquens, idcirco non possit saeculare iudicium declinare; et si captus fuerit a iudice laico, nequiquam valeat exceptionem declinatoriam fori proponere ad effugiendam criminis punitionem. Covarruvias, ubi supra n. 1, quanquam istud sequeretur ex opposita Marantæ, et aliorum sententia.

107. *Iudex ecclesiasticus, quando possit clericum criminisum tradere curiae saeculari?* — Queritur IV. Utrum, et quando iudex ecclesiasticus possit clericum criminisum tradere curiae saeculari? Resp. J. De hoc extat celebris constitutio in c. *Cum num ab homine*. 10. h. t. ubi Coelestinus III. circa processum, contra clericos in gravibus criminibus deprehensos observandum, decrevit in hæc verba: « Respondemus, quod si clericus in quocumque ordine constitutus, in furto, vel homicidio, vel perjurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitime, atque convictus, ab ecclesiastico ordine deponendus est. Qui, si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet: deinde contumacia crescente anathematis mucrone feriri; postmodum vero, si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per saecularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima poena inferatur. » Hæc ibi.

108. *Contra clericum criminisum sunt observandi quatuor gradus poenarum.* — Ex quibus verbis liquet, contra clericum criminisum observandos esse diversos poenarum gradus. Imprimis enim constituto de delicto, si illud

est depositione dignum, clericus deponitur: et hic est primus gradus poenae infligendae. Et si se corrigat, quia non iterat, nec continuat delicta, et depositionem servat, poenitentiamque adimplet injunctam, non proceditur ulterius. Sed, si sit incorrigibilis, praedicta non servando, ac similia, vel deteriora crimina perpetrando, tunc excommunicatur: et hic est secundus gradus. Crescente vero contumacia anathematizatur; quod ad terrorem caeterorum peragitur cum certis ceremoniis, in can. *Debent*. 11, q. 3. praescriptis: et hic est tertius gradus. Denique, si adhuc non resipuerit, quin potius in profundum malorum venerit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, relinquit eum comprimendum per saecularem potestatem, seu tradit ipsum curiae saeculari: qui est quartus gradus poenae infligendae. Fagnanus in c. *Cum non ab homine*. n. 34. h. t. et alii.

109. *Sed alius est ordo procedendi contra clericum, quando poena incipit a crimine: alius, quando a contumacia.* — Ubi tamen pro concordandis aliis juribus, mox citandis, notandum est cum Glossa fin. in cit. c. *Cum non ab homine*, et Fagnano ibid. n. 35. h. t. et aliis, quod praedictus ordo procedendi contra clericum, tunc locum habeat, quando poena incipit a crimine; sive, quando contra clericum proceditur propter crimen depositione dignum, v. g. propter homicidium, aut hujusmodi. Secus, quando poena incipit a contumacia: nam clericus contumax, seu nolens parere mandatis superiorum, aut iudicis, primo suspenditur, secundo excommunicatur, tertio deponitur, et ultimo traditur curiae saeculari: ut can. *Honoratus*. dist. 74. juncta Glossa ibid. §. *Adhuc* et can. *Forte*. 23. q. 4. et can. *Quorundam*. dist. 34 et c. *Quoniam*. §. fin. *Ut lite non contestata*, etc. Nam aliud est, non obedire, quod consistit in omitendo, ut facit simplex contumax; aliud contemnere, quod consistit in committendo, ut facit incorrigibilis: atque ideo mitius contra illum proceditur, quam contra istum; prout in simili contingit in c. *Ad falsarium*. §. fin. de *Crimine falsi*.

110. *Probabilis est, quod clericus ob nullum crimen possit tradi curiae saeculari, nisi in casu incorrigibilitatis, aliisque specialiter exceptis.* — Resp. II. Probabilis est, juriusque magis conforme, quod clericus ob nullum crimen, licet gravissimum, possit degradari, et curiae saeculari tradi, nisi in casu incorrigibilitatis, aliisque casibus in jure, aut per

constitutiones apostolicas, specialiter expressis. Ita Covarruvias, l. II. *Var. resolut.* cap. xx. n. 7; Julius Clarus, l. V. *Praxis criminalis.* § fin. quæst. 36. n. 40, hanc opinionem appellans communem; et Fagnanus loc. cit. n. 38. et n. 95. et seqq. istam sententiam ex professo propugnans, ac plurimos alios pro ea allegans; quamvis non pauci etiam oppositum teneant. Fundamental ratio nostræ conclusionis est: quia certum est, quod clerici gaudeant privilegio fori, sicque nequeant trahi ad iudicium sæculare, can. *Nullus iudicum.* 11. q. 1. et c. *At si clerici.* 4. h. t. cum similibus: ergo in possessione hujus privilegii sunt manutenendi, donec in jure, aut constitutionibus apostolicis, inveniantur eodem privati; etiamsi cæteroquin crimen ipsorum sit gravissimum, ut puta homicidium proditorium, occisio sacrilega sacerdotis, furtum sacrilegum, aut hujusmodi.

111. *Idque amplius probatur.* — Accedit textus jam allegatus ex c. *Cum non ab homine.* h. t. ubi clericus non tantum ob furtum, vel perjurium, aut homicidium, sed etiam in alio crimine deprehensus (ut loquitur textus) tunc primum tradendus curiæ sæculari dicitur, quando perseverante malitia succedit ejus incorrigibilitas; eo quod « Ecclesia non habeat ultra quid faciat: » idem ergo dicendum de omnibus criminibus, quantumvis gravibus, ac specialiter in jure non exceptis. Probatur consequentia, tum quia textus allegatus loquitur indistincte de « aliis criminibus; » tum quia quoad ista semper habet Ecclesia ultra quid faciat; videlicet excommunicando, et anathematizando, donec hæc omnia incorrigibilis contempserit. Unde in c. *Clerici.* 4. de *Excessib. prælat.* ob crimen sodomiam, utique gravissimum (imo hodie exceptum) clericus non illico traditur curiæ sæculari; sed dejicitur a clero, et in arctum monasterium (cui hodie succedit carcer) ad agendam pœnitentiam detruditur. Quo eodem modo clerici in latrocinii, vel aliis magnis sceleribus deprehensi, » puniri jubentur in c. *Tuæ discretionis.* 6. de *Pœnis:* sicque clare liquet clericos etiam pro magnis sceleribus non illico posse tradi curiæ sæculari, nisi sint incorrigibiles, aut crimina illa specialiter sint exceptuata.

112. *Referuntur casus speciales, tum de jure communi.* — Confirmatur. Quia jura, et diversæ constitutiones apostolicæ, successive plures casus exceperunt, in quibus clerici criminosi illico degradari, et curiæ sæculari

tradi jubentur; ergo (cum exceptio nrmæ regulam in casibus non exceptis, ut can. *Dominus.* 32. q. 7. juncta Glossa ibidem) illud in aliis criminibus, quantumvis gravibus fieri nequit, nisi accesserit incorrigibilitas. Antecedens probatur inductione. Sic enim de jure communi clericus degradari, et curiæ sæculari tradi jubetur. I. Ob crimen hæresis, præsertim ob reincidentiam in illud, c. *Ad abolendam.* 9. § *Præsenti.* et § *Illos quoque.* de *Hæretic.* et c. *Super eo.* 4. eod. in 6. II. Ob falsificationem Litterarum Apostolicarum, c. *Ad falsariorum.* 7. de *Crimine falsi.* III. Ob conspirationem in proprium episcopum, can. *Si quis sacerdotum.* 11. q. 1. et tradit Glossa in d. c. *Ad abolendam.* 7. *Relinquatur.* de *Hæretic.* IV. Ob crimen assassinii, cap. 1. de *Homicid.* in 6, ubi clericus hujus criminis reus declaratur esse a toto christiano populo perpetuo diffidatus; ita videlicet, ut possit a quocumque impune offendere, etiam absque alia solemnè de gradatione; dummodo juxta constitutionem 7. Clementis VIII, *Æqua et circumspècta* (quæ refertur tom. III. *Bullarii Romani*), secuta sit sententia declaratoria, qua iudex ecclesiasticus pronuntiavit ipsum esse assassinum. Julius Clarus cit. § fin. quæst. 36. n. 29. et seqq.; Fagnanus, loc. cit. n. 72, et seqq. cum communi.

113. *Referuntur casus speciales, tum per diversas constitutiones apostolicas excepti, in quibus clerici criminosi statim traduntur curiæ sæculari.* — V. Juxta posteriores constitutiones apostolicas, ac extra jus commune vagantes, clericus potest illico degradari, et curiæ sæculari tradi, ob crimen nefandum, sive sodomiam: ut decrevit sanctus Pius, in sua constitutione 72. *Horrendum illud scelus;* ac refertur, tom. II *Bullarii Romani.* VI et VII. Clerici, qui ad ordinem presbyteratus non promoti, missarum celebrationem usurpasse, vel sacramentalem confessionem audivisse convicti sunt, degradantur, et statim curiæ sæculari traduntur, juxta constitutionem 81 Clementis VIII, *Et si alias,* quæ refertur tom. III *Bullarii Romani.* VIII. Clerici monetarii, seu monetam fabricantes, tondentes, vel adulterantes, in Italia dumtaxat, prævia degradatione curiæ sæculari puniendi traduntur, juxta constitutionem 74 Urbani VIII, *In suprema,* quæ refertur tom. IV ejusdem *Bullarii Romani.* Tot igitur casuum exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, quod videlicet ob alia

crimina quantumvis enormia, non possit clericus delinquens tradi curiæ sæculari, nisi sit incorrigibilis, juxta cit. c. *Cum non ab homine.* h. t.

114, 115, 116 et 117. *Proponuntur et solvantur contraria.* — Dices: Textus in d. c. *Cum non ab homine.* h. t. facit mentionem tantum de furto, perjurio, et simplici homicidio; ergo in criminibus atrocissimis, v. g. in homicidio sacrilego sacerdotis, vel parricidio, aliud est observandum, potestque clericus reus tradi curiæ sæculari. Probatur consequentia, quia æquitati naturali consentaneum est, ut « pro mensura peccati sit et plagarum modus, » *Deuteron.* cap. xxv, 2, sicque non idem sit modus procedendi in criminibus atrocissimis, qui servatur in simplicibus delictis. Confirmatur id ipsum ex can. *Sunt quedam.* 23. q. 2. ubi dicitur, esse quædam enormia flagitia, quæ potius, per mundi iudices, quam per antistites, et rectores Ecclesiarum vindicentur. Quinimo in c. *Novimus.* 27. de *Verb. signif.,* dicitur, quod clericus, qui « propter hoc (crimen falsi) vel aliud flagitium grave, non solum damnabile, sed damnosum, fuerit degradatus, sæculari foro per consequentiam applicetur; » sicque is pro omni crimine damnoso videtur posse tradi curiæ sæculari. Accedit auctoritas Ancharani in d. c. *Cum non ab homine.* n. 10. et seqq. et Abbatis ibid. n. 6. et amplius in c. *At si clerici.* n. 39. h. t. Felini, Decii, pluriumque aliorum oppositam sententiam tenentium: quam etiam amplexa est praxis plurium tribunalium; uti refert Covarruvias cit. l. II. *Var. resolut.* cap. xx. n. 7; et Fagnanus ubi supra, n. 37.

Resp. Ad primum, neg. anteced. Quia in c. *Cum non ab homine.* h. t. generaliter subditur clausula illa, « seu alio crimine; » sicque non tantum loquitur de simplici homicidio, sed universim de omnibus aliis criminibus specialiter non exceptis. Accedit c. *Tuæ discretionis.* de *Pœnis,* expresse loquens « de latrocinii, et aliis magnis sceleribus, » junctis aliis in probationem nostræ conclusionis adductis. Unde, quia jura adeo clare loquuntur, nihil urgent, quæ in probationem consequentiæ afferuntur: præterquam, quod cap. xxv, 2. *Deuteron.* expresse loquitur, non de modo procedendi contra criminosos, sed de modo, seu mensura plagarum. Potest autem Ecclesia aliis modis pœnam commensurare delictis, v. g. pro atrocissimis delictis perpetuos ac ærumnosissimos car-

ceres determinando, ad reum *pane doloris, et aqua angustiae sustentandum,* prout loquitur textus in c. *Novimus.* § fin. de *Verb. signif.* Vel mittendo clericum reum ad triremes, aut aliis modis pœnas exasperando juxta gravitatem culpæ; cum enim servitus morti ferme comparetur, l. *Servitutem.* ff. de *Reg. jur.* multo magis id sentiendum de perpetuis atrocissimis carceribus.

Ad confirmationem respondetur, can. *Sunt quedam.* 23. q. 2. loqui de laicis, quorum enormia crimina potius per iudices mundi, quam per rectores Ecclesiarum, punienda censentur, quamvis sint delicta mixti fori. Ad c. *Novimus.* de *Verb. signif.* patet responsio ex terminis: quia loquitur de illis gravibus criminibus, ob quæ clerici fuerunt degradati, sicque per consequentiam jubentur curiæ sæculari tradi: non autem dicit, quod ob quælibet gravia crimina possit clericus degradari. Unde sic explicato textu, negatur consequentia.

Ad auctoritatem Ancharani, Abbatis, aliorumque doctorum, contrariam sententiam tenentium, respondetur, opponendo ipsis communiorum cæterorum doctorum opinionem, junctis validioribus juris fundamentis, hactenus jam allegatis. Ad praxin quorundam tribunalium dicitur attendendum imprimis esse, utrum non talia in casibus particularibus gesta fuerint ex speciali concessionem pontificia, seu dispensatione per summum Pontificem in jure communi facta ex certis circumstantiis tunc occurrentibus. Sin minus: patet ex l. *Nemo.* C. de *Sentent. et interlocut. omn. judic.* Quod « Non exemplis, sed legibus judicandum sit. » (ADNOTATIO XXVIII.)

§ V.

DE JUDICE CAUSARUM FEUDALIIUM.

118. *Plures hic distinguuntur casus.* — Quæritur I. Quis sit iudex competens in causis feudalibus inter vassallos agitatis? Et notanter additur, « inter vassallos agitatis; » plures enim circa materiam iudicis causarum feudaliū possunt distingui casus. I. Quando agitur de causa feudi inter vassallos ejusdem domini directi super jure feudi; et hoc, sive feudum illud sit sæculare, sive ecclesiasticum. II. Quando extraneus habet litem cum vassallo super re feudali. III. Quando agitur quæstio feudi inter domi-